

Benefactoris, omnia benè facientis: Veri Messia, ob quem Hierusalem civitas reædificata: veri Cores sive Cyri, qui ex internali Babylone nos eduxit, mysticam & cœlestem Hierosolymam ædificavit, ædificatam ingredi concessit, ubi satietas gaudiorum & delectationes in conspectu & dexterâ ejus perpetuæ Ps. xvi.

IDEA HOMILIÆ

Super Lib. I. Esdræ cap. I.

P. Esai. XLIV. v. 28. XLV. v. 1.

E. à canonicâ hujus libri autoritate, in Ecclesiâ Israëliticâ & Christianâ, cujus scriptor à Spiritu sancto inspiratus fuit Esra sive Esdras Legisperitus cap VII. filius sive nepos Sacerdotis Serajæ primi ordinis, à Nebucadnezare occisus II. Reg. xxv. à Rabbinis, Lactantio, Augustino pro Malachiâ prophetâ habiti, qui non modò libros sacros Mosis & Prophetarum, quorundam, nec non Hiobi, Josuæ, Judicum, Ruth, Regum & Paralipomenon, Davidis & Salomonis, (ut Theodoretus scribit) collegit & ab aliis scriptos in ordinem redegit; sed & hunc ipsum librum idiomate Hebræo, ac paucis in pericopis cap. IV. V. VI. Chaldæo Idiomate, exaravit, continentem Historiam non LXX. sed, ut accuratiores observant, CXL. annorum (à primo Cyri ad xix an. Artaxerxis Mnemonis) videl. de Judæorum ex captivitate reditu & Templi Hierosolymitani, post varia impedimenta reædificatione. Qui liber, uti doctrinis,

nis,